

W. 433, 16

B. m. II

Πd
264

X 2256408

DE

ΠΑΡΕΝΘΥΡΣΩ.

ORATORIO

COMMENTATVS

ILLVSTRIS RVTHENEI NOMINE

PRIOREM STVDIOSAE IVENTVTIS

A. C. D. CIO IDCC LVI

LVSTRATIONEM

SECVLO COMMENDAT

IO. GOTTFR. HAVPTMANN.

CIC. ORR. XXVIII, 25, 64:

Infractus furor tuus inanes faciebat impetus.

GERAE

EX CHALCOGRAPHIA VIDVAE SCHRADERIAE.



Quam, ante viginti annos, e publico, post fata quoque, grata pietate memorandi, ΚΑΡΡΗΙ testimonio *a*), priuatim exhibui defendique, commentationem, nunc denique, paullulum immutatam et alia forma donatam, publici facio iuris. Ad hoc ipsum me permouit, idem argumentum, a CEL. BAVMEISTERO, postea tactum *b*): cuius limatissimo scripto, non certe minimum, supplementum tractationem nostram exhibituram esse, confidimus. Hinc, ne bis eadem dicantur, quae monuit ipse, plurima refecamus, alteram modo disputationem indicantes. Omnia propeniodum, quae vitia miscentur orationi iustae, τοῦ ψυχροῦ seu frigidi nomine, si quidem sensu latiori vocabulum acceperis, et ad effectum, in animis audientium ac legentium, respexeris, poterunt comprehendī. Frigidam scilicet orationem, Theophrastus apud DEMETRIVM *c*) vocat, quidquid sibi proprium enuntiatum excedit. Eadem, vel humi repit macilenta; vel, turgida ventosaque, μετεώροις *d*) inseritur. Tumor, aut in verbis, eorumque collocatione, reperitur, aut in rebus et argumentis, aut in orationis habitu toto; seu pertinens ad ἡθῆν, seu πάθῃν. Genus vtrumque, SENECA *vomicum morbum* adpellat, et *fanaticum e*); IOANNES Chrysostomus *f*) τὸ φλεγμαῖνον ἀλαζονείαν CRESOLLIVS *g*); alii *sophisticum* modum *h*). Sed, cum esset *sophistarum τὸ κορυβαντιῶν καὶ ἐξίσταναι i*) maxime

a) v. illius ep. disp. nostrae de *Laconismo* adiecta. *b*) in eius *exercitationibus academicis et scholasticis* n. III. *c*) περὶ ἑρμηνείας S. II4. p. 107.: ψυχρὸν ἐστὶ τὸ ὑπερβάλλον τὴν οἰκίαν ἀπαγγελίαν. Quae verba perquam illustrat ARISTOPHANIS explanator, ad *θεσμοφορίαζ.* v. 805: ψυχρὰ γὰρ, αἰτ, λέγεται τ' ἀπίεως γραφέντα, καὶ τοὺς ἀκροατὰς οὐ παροξύνοντα, οὐτ' ἐπεγείροντα, οὐτ' ἐπιχάρειν τινα ἐπιφέροντα. conf. ARISTOT. *rhet.* III, 3. et LONGIN. *lect.* III. in it. qui quidem, adstricto magis sensu, vitium istud tractauit. Addatur, perquam nobis venerabilis FREYTAGII *diff. de frigido in orat.* et BERGERI *politicum opus de naturali pulcritudine orat.* p. 26. *d*) SAM. WERENFELSII *comm. de meioris orationis*, in quibus et *παρένθυστος* nominatur p. 320. *e*) *Suasor.* XII. it. *controv.* XXXIII: *rhetor Romanus multo vehementius insanit, quam nostri fanatici.* *f*) *hom.* XVII. in I. Tim.: τὸ φλεγμαῖνον οὐ φαμεν ὑγιαίνεν. Sic et opponitur sano tumidum, apud AVGVSTIN. *L. III. contra Petilianum* c. vlt. *g*) in *ibatro rhetorum* L. V. c. 1. sq. *h*) CRESOLL. *l. c.* L. III. c. 17. p. 127. T. X. GRONOV. *i*) THEMISTIVS *or.* I. p. 22. ed. PETAVII Parisinae.

maxime posterior, τῶν θειαζόντων ῥητόρων *k*), forma venit in censum: quae *υμφολόητος*, seu lymphata, nominatur a PLATONE *l*); ab aliis *υπερβαρκος m*). a Theodoro *) singulatim, apud LONGINVM *n*), *παρένθυρος*. Thyrsus, ad quem propius accedere dicitur, hasta fuit aculeata et hederis obiecta, quam, in Orgiis, bacchantes mulieres quatiebant; quaque percussos actutum in furorem vertisse dicuntur *o*). Vnde BOLAEVS, oratorium istud vitium, non praeter causam, adpellat: *fureur hors de saison p*). Est autem id ipsum, quod intempestiua motuum atque imprudente concitatione peccat: vbi scilicet grandiloquus et importunus orator furere videtur apud sanos, et, inter sobrios, quasi bacchari vinolentus *q*); tam sinistro quidem successu, vt, in animo sapientum, quos in motum caloreque coniecere tentabat, auditorum, nihil nisi iustum excitet contemptum, ac frigus relinquat *r*). Fit hoc, duplici potissimum ratione; vel enim adhibentur, vbi nullis opus est, motus; vel, vbi pauci suffecerint ac mediocres, vsurpantur nimii. Primordia tam vecors dicendi ratio, non solum ex oratoris indole feruidiore, verum etiam e consuetudine ducit, et imitatione. Si quis praesertim inepti rhetoris atque sophistae, quem ad modum se vitia plerumque citius insinuare solent, plenis quasi faucibus, imbibit animo praeceptiones; et, e iudicii defectu, pessimum quodque sequitur exemplum. Nihil in deliciis habebit eius furfuris homo, nisi lyricos, heroes, tragicosque poetas *s*), concitatosque ac praecipue sublimes oratores, omni rerum, quas tractant, discrimine neglecto. Pindarum, Aeschylum, Sophoclem, Persium, duces habebit scriptor pedestris: beatissimum vbique praedicabit fulminantem illum Periclem, sophistas, nubium

A 2

et

k) IO. TZETZES in operis fine. *l*) in *Phaedro* p. 199. ed. Basil. vbi Socrates loquitur, in Amoris laude, sophistas aemulatus, conf. DIONYS. Halic. in *ep. ad Pomp.* T. II. opp. p. 205. lin. 42. sqq. ed. Oxon. *m*) qualem orationis formam Niceret rhetor nominatim habuisse dicitur. Sic et Theseus apud EVRIPIDEM: *Βάρκχουε πολλῶν γραμμάτων τιμῶν καπνούς*. conf. CRESOLL. l. c. *) Incer- tum, quis ille fuerit: LANGBAENIVS Rhodium intelligit, quocum; in eadem insula, familiariter quondam vixerit Tiberius Caesar, conf. QVINCTIL. III. 1. *n*) See, III. sub fin. *o*) NIC. CAUSSINVS de *eloqu. S. et hum.* II, 6. init. *p*) NIC. BOILEAV in opp. T. III. p. 36. ed. Amst. 1717. *q*) CIC. in *orat.* 28, 99. *r*) CIC. de *orat.* II, 51, 205. in *Bruto* 80. tot. *s*) DIOG. Laërt. III, 26. VIII, 70. GE. NIC. KRIEGER de *sophistarum eloqu.* S. XXVI,

et obscuritatis captatores, exquisitissimos ϵ). Inde fit, ut sibi co-
 thurnos aptet puer ν), Herculem furem simulet Pygmaeus,
 et, ubi serpere debebat, velut alis Icaris, et capite ventoso, fidera
 ferire conetur. E primordiis illis, facile patet, apud quos praecipue
 tam furiosum dicendi genus sit quaerendum. Natura nimirum, ad
 id proni quondam fuerunt, Asiatici x) nominatim et Afri scripto-
 res. Illi, factum voluptati iungendo, luxuriosam vbertatem; hi, simul
 avaritiae dediti, verborum asperam parsimoniam, adoptabant, in
 $\pi\alpha\rho\epsilon\nu\theta\upsilon\rho\sigma\omega$ consentientes. Apuleium, Tertullianum, Arnobium γ),
 Eunapium, Martianum Capellam z), Fulgentium, exempli loco,
 nominasse sufficit. Consuetudine, non tam Gorgias Leontinus α),
 quam, eius imprudentes sectatores, sophistas ducebantur: quos
 inter, vel, qui $\tau\epsilon\rho\alpha\tau\omicron\lambda\omicron\gamma\omicron\upsilon\varsigma$ vocat ipse, LIBANIVS β); qui pariter
 acculat, SYNESIVS γ), Aristides item δ), Musa rhetor ϵ), et alii ζ)
 vituperari merentur. Haud de singulis, sed pluribus saltem, ea
 dicta velimus. Reperiuntur omnino, quorum ingenium ars supera-
 nit, Terentii, Lactantii, Herodiani: sunt inter sophistas, contagione
 neutiquam infecti, Stilpones η), Aeliani, Prusaei. Contra vero, nec
 aetate recentiore, $\pi\alpha\rho\epsilon\nu\theta\upsilon\rho\sigma\omega$ exolevit. Praesertim inter Hispanos,
 Italos, Polonos, oratores exstant, sensibus grandes, vberes et dicen-
 do quaelibet amplificantes, quibus facillimum fuerit, nubem in lu-
 nonem, in Mineruam ranas, conuertere. Germaniam ipsam, saecu-
 lo proximo, labes infecit, vix depressa, dum exuscitari iam denuo
 videtur. Utique, carmina passim ac liberas orationes, grallatoriis in-
 cedere gradibus, et in nubilis occultari, et inter sanos furere, puta-
 ueris, quae subinde, recenti cum plausu, leguntur. Sunt hodieque
 Staleni θ), Flori, Claudiani, Sidonii, Lohensteinii, qui fluctus exci-
 tant

ϵ) ARISTOT. *rhetor.* III, IO. HOR. *de A. P.* v. 230. ν) QUINCTIL. VI, I.
 p. 357. ed. CAPPER. x) comm. nostra *de Asatica loquacitate.* γ) DUPIN *bibl. N.*
 S. E. T. I. p. 557. z) qui, iudice PETRO DAN. HUETIO, si non fuit Afer, esse
 tamen debuit. α) comm. nostrae *de Gorgiae Leontini scriptis et de laudatoribus*
 eius. β) *declam.* XXXVII. p. m. 873. conf. eius *pseudosophista et Lexiphanes.*
 γ) *de regno ad Arcadium imperatorem*, non procul ab initio. δ) quem, ut et
 Libanium, castigat CAUSSIN. l. c. in med. it. VIII, IO. ϵ) SEN. *controvers.* L. V.
 praefatio, CRESOLL. l. c. III, 22, 3. ζ) PETRON. sub operis init: *hoc genere fu-*
riarum declamatores inquietantur. conf. BAVMEIST. l. c. p. 31. sq. η) DIOG. Laërt.
 II, 113. seu 12, 2. edit. LONGOL. θ) CIC. in *Bruto* 68, 241.

tant in cymba, deque pelui fulgur edunt inane; nec minus tamen, ut iste Stalenus, siue Straienus, laudantur et ad honores adscendunt. Horum ut indolem ac rationes eo penitius exploremus; aegedum, tales nobis *καρδικοφρόγους* paullo distinctius designemus ac proponamus. Notandum praesertim existimo, quod homulorum eius generis prima lex sit, plausum et admirationem captare. Captant verò, dum rapere malunt animos; quam delinire, corrigere, ditare. Vel igitur verba facientes de eo, quod pueros aiunt in faba reperire, quasi caelum ac terram miscent. Exclamant in minutis; dubitant in certis; corrumpunt verba, rem ubi corrigere simulant; interrogant semper *ι*), sese reuocant, temere filum orationis rescindunt. Vbi nec suspecta fides, nec indignatio, nec minae, locum habuissent; deierant, abiurant, periurant, obtestantur, execrantur, ac, in lite de tribus capellis, astra, mare, superos inferosque deos, et ipsum Cerberum, prouocant. Plurima non ipsi, sed quaecumque possunt occurrere, loquuntur. Dudum defuncti, vocibus anicularum repetendis, excitantur; immo canes, feles, mures, et quidquid denique ridiculum est, ut in fabulis, emittere sermonem, hic animaduertes. Obscrauerant isti sedulo; consilia petunt ex auditoribus; admirantur vulgaria; vilissimum quoduis omnibus desideriis exquirunt. Numum acceperunt; demississimo tantam liberalitatem aeternoque prosequuntur cultu. Toti sunt, vel in humilium fautorum et indignorum laudibus, et omnes, ut idem certatim faciant, ut aeneum futuri monumentum dedicent, ut communi defunctum luctu plorent, flagitare non erubescunt. Aestimant contra nauci, deprimunt, abominantur amicos ipsos, praeclaros viros, aut certe tale quidquam minime promeritos. Inopinato forte leuissimam iniuriam intuleris: fremunt iracundi, latrant, nec minarum vllibi modum reperiunt; licet vel pueri, tam vanam, ac sine caussis et viribus iram, irrideant atque contemnunt *κ*). In indignatione, Flacci *λ*) et Iuuenalis *μ*) exempla nihil sunt: altius nostri sibi surgere videntur, et amplissimis illos superare spatiis. Maiorem alius plausum, plura suffragia retulit: vae illi capiti! quodlibet abiectissimae calumniae virus in hoc euomunt. Odium ubi prodendum, in Bellerophonteum incidunt morbum *ν*),

A 3

Timoni

ι) PLIN. *ep.* III, 13. *κ*) QVINCTIL. VI, 2. p. 367. *λ*) *Epod.* III. *μ*) *Sat.* I. et III. *ν*) RUTILIVS in *itinerario*: Hunc nimiae bilis morbum assignauit *Homerus Bellerophontis sollicitudinibus*.

Timoni neutiquam dissimiles. Doloribus gaudent effusis, et immoderatis. De gallina mortua, magis lugent, quam liberorum, parentum ac patriae, perniciēs requireret. Vel in causa iusta nimii; festantur, siue potius cumulant, Himerianas querelas ζ). Adhaec, ubi, propemodum impotentes, in re vilissima, rumpuntur furore, tam nihilominus sunt verbosi, tam degeneres, ut Getam in *Adelphis* ο) audiri, vel, apud PLAVTVM π), Euclionis dolorem exprimi, credideris. In ipso timore, sicubi minimum imminet, quasi capitis subeundum esset periculum, aut de salute Graecorum desperaretur, aut ipsum rueret caelum, Thyesteis omnia clamoribus, Panicoque terrore, conturbant. Aestus actutum debilitat mentem, vniue lacrumarum exprimit. Sed, nec ibi quidquam citius arefcit, quam eius generis conductitia lacruma; quae mox in effusum soluitur cachinnum. Scilicet, is etiam esse παρρησιότητος mos solet, ut, ex vno motu in alium, immo contrarium, incidat, et improviso singulas exprimat animi perturbationes. Harum plures tangere, nominatim inuidiam, cupiditatem, misericordiam depromere, possemus; ni, loquacitatem ita nobis ipsis obici posse, vereremur. Addamus potius enuntiationem, quae vocabulis atque sententiis constat longissime petitis. *Grandisonis*, ut cum SEDVLIO ε) loquamur, *pompabunt modis, boatque tragico* replebunt omnia. Non ipsis oritur aurora; sed *roseum quatiens lacertum punicantibus phateris inequitat* σ): non edit Martialis ac bibit; sed *arguator Bilbilitanus consumit Cerevem Bacchique haurit munera*: non montes habent isti; sed *terrae verrucas*: non pecunias, sed *intestina* possident, *arcae ferreae* τ). Quid? omnia, diuersis longaque petitis coloribus picta, fidis subiiciunt oculis. Adhaec, moderatas verborum comprehensiones ac circuitiones ignorant, vel sicci, vel redundantes υ). Agendi denique ratio verbis est conformis. Certe Philager, cum, Atheniensium in congregatione, Demosthenis accusatorem Aristogitonem exhiberet, impetu tanto ferebatur, ut iracundiae vis omne pectus opplens, et opere nimio contrahens fauces,

ζ) ap. PHOTIVM p. 2011. ed. STEPH. et CAUSS. l. c. VIII, 9. ο) *TER. adelph.* III, 2, 11-20. π) in *aulularia* III, 9, 1-16. ε) *mirabilem diuinorum siue paschalis carminis* I, 2. σ) Habet haec APVLEIVS *de asino*. conf. s. v. WALCHII *diatribae de entusiasmo veter. sophistar. aique orat. in parergis acad.* p. 446. τ) CHR. HEINR. WEISSIVS *de stilo Rom.* L. III, c. 2. p. 255. lq. III, 5. p. 323. υ) CAUSS. VII, 12.

ces, orationem praecluderet ac vocem φ). Sic vbiq̄ue bacchantur oratores isti, quorum sermones, si, per singula momenta contemplati, simul odiosis exemplis illustrare vellemus, tempus profecto nos citius deficeret, quam argumentum. At sufficit, ex his paucis, vastam, ridiculam, immo puerilem eorum indolem, ac, iunctim consideratis vitiis, παρενθύρῳου naturam, perspexisse. Dabitur forte mox occasio, plura, diuerso stili genere, supplendi. Iam autem riuos claudamus, et oratores nostros, saniozem ipsis mentem precati, nec sine misericordia, dimittamus. Vnum monemus, ne quis arbitretur, omnem stili magnificentiam et grauitatem, omnem animorum concitationem, nos ideo vituperare, dum intempestiuam et nimiam reiicimus. Absit, immo tam longe absit, vt in eo potius oratoris a philosopho differentiam statuamus; quod ille conuincat, hic aequè persuadeat, et animos commouere laboret. Est enim oratoris officium, ad persuadendum accommodata facere verba; et, in persuasione, paginam vtramque facit motus. Opus saltem est idoneis facibus, vt auditor et lector accendatur. Quas cum pauci probe norint; deficiunt quidam, alii modum excedunt, alii partem in vtramque peccant. Haud igitur, de folio suo, detrudenda fuerit, vt a bono poëta dicitur, *flexanima regina rerum omnium, oratio χ*); sed iustis includenda limitibus, ne, tyrannidem exercendo, vim habeat minus diuturnam; et eo facilius capiatur, quo capere studet ardentius. Ceterum, vt, per hanc tractationem, insigni quodam vitio liberandam eloquentiam curamus: ita generatim, in gymnasiis, nostrum est, cum intelligentiae, tum voluntatis, imperfectionem remouere. Faciunt eo, post auxilium diuinitus impetratum, praeparatio, doctrina, disciplina, repetitio, exercitatio, variorumque stimulorum alii modi. Cum ergo lustratio publica singulares ibi partes habeat; quippe qua non modo defectuum supplementa comparantur, sed aequè perfectio iuuatur, et, tam auctoritatibus quam exemplis, amplificatur: omnium erit, EMINENTISSIMORVM atque S. V. CVRATORVM exemplo, cras ac sequentibus diebus, conuolare, tamque laudabilem et in commune salutarem operam, honorifica praesentia, fulcire. P. P. Gerae d. XIII. Mart. A. R. D. c15 15 CC LVI.

VERNA-

φ) ἐσβέσθη, PHILOSTRATVS ait, in eius vita, τὸ φθέγμα ὑπὸ τῆς χολῆς. conf. CRESOLL. l. c. III, 17. p. 127. χ) CIC. de orat. II, 44, 187. conf. l. 5, 17.

VERNARVM ET AESTIVARVM RECITA- TIONVM INDEX.

PROFESSOR THEOLOGVS

In recitationibus suis, quibus RECHENBERGII compendium historiae sacrae explicat, historiam Sec. XVII. continuabit.

PROFESSOR IVRIS

Librum primum Institutionum Iuris Ciuilis, secundum MENCKENII Synopsin, exponet.

DIRECTOR

Propitio NUMINE fultus, et constitutionibus publicis iussus, hebdomadis primo die, quoties ordo tangit, ad fontes examinabit, interpretabitur et inculcabit, sollempnia sacrarum orationum pensa.

Diei secundi hora mat. VI., pias inter cantilenas et preces, exponet vtrique classium superiorum, *Paulinas* ad Corinthios epistolas Graecas, et doctrinam sanctiorem; VIII. grammaticam Germanicam *Gottschedianam* ordini primo; X. geometriam vtrique: post meridiem, II. odas Horatianas selectas, ordini primo; III. Ebraei sermonis fundamenta, *Φιλεβγαλοῖς*. V-VII. eloquentiam Germanicam, desiderantibus.

Diei tertiū hora VI., etiam inter cantilenas ac preces, interpretabitur L.V. *Mosaicum* Ebraeum et *Hutterum*, omnibus superioribus; VII. historiam recentissimam, *Freyeri* ductu, primanis; VIII. *αυθολογίαν* iisdem; X. noua publica, cupientibus: a meridie, hor. II. exercitationes Latini stili, proponet et emendabit, ordini primo.

Diei quarti, hora VI., satiras *Horatianas* selectas explanabit ordini primo; VIII. et sabinde VIII., post preces et codicem Ebraeum lectum, doctrinam morum *Ernesti*, cunctis.

Diei quinti hora VI., post cantilenas, preces, et N. T. Graecum, doctrinam morum continuabit; VIII. officia *Ciceronis*, ordini primo, X. conciones ciuiles *Linianas* diligentioribus; a meridie II. Neronem *Suetonianum* omnibus; III. iisdem, disciplinam sanctiorem, enodabit.

Diei sexti hora VI., geographiam proponet; et, a meridie, physici professoris loco, naturalem animalium historiam, ad antiquitatis scriptorum illustrationem, accommodatam.

Diei septimi hora VIII., explanabit Ebraei sermonis fundamenta, classium vtrique; VIII. disputationes ac repetitiones instituet, cum priore; a meridie IIII-VI. poesin Germanicam tractabit, cum selectis.

PROFES-

PROFESSOR ELOQUENTIAE

Vt faciat muneri, indulgentissime sibi demandato, quoad eius fieri possit, satis, hoc aestiuo semestri spatio sic in erudiendis uersabitur ciuibus

DIE LVNAE, Hora VII-VIII. secundum ordinem elegancia Latini sermonis exercebit *publice*. VIII-IX utrique ordini Euangelium Marci explicare perget, et Obseruationibus philologicis illustrare. IX-X. *priuatim* suae classis ciuibus Historiam, Freyero duce, ab origine Regni Aegyptii proponet. X-XI. *priuatissimae* uacat Lectioni. Hora I-II. explicatis libris sacris, peractisque precibus, Curtii Libr. I. *publice* persequetur. IV-V *priuatissime* Antiquitates Graecas perlustrabit.

DIE MARTIS, ante meridiem VII-VIII, eadem, qua superiore die, fungetur opera. VIII-IX. Ernesti Initia Rhetorica *publice* tractabit. IX-X. *priuatum* Pythagorae Carmen Aureum, eoque ad finem perducto, Callimachum explanabit. Hora I-II. pietate cum utroque ordine perfunctus, Iuuenali *publice*, et II-III. Xenophontis Memorabilibus Socratis ex Gesneri Chrestomathia *priuatum*, studium impendet.

DIE MERCVRII, ab Hora VI-VII. Horatii odas *priuatum*, et, Hora IX-X. utrique ordini argumentum Carminis, proponet. Hora XI-XII. *priuatissimam* continuabit institutionem. Hora I-III. *priuatissime* Iul. Caesarem tradet, auditoresque nitorem Romanae dictionis docebit.

DIE IOVIS, Hora VII-VIII. Isocratis ad Nicoclem *publice* interpretabitur orationem. VIII-X. Historiam eodem modo, quo die Lunae, *priuatum* edisseret. A meridie ab Hora I-II. orationem Ciceronis pro Lege Manilia ex antiquitatibus *publice* collustrabit. IV-V. Bruningsium *priuatissime* uberius explanabit.

DIE VENERIS, ante Meridiem VI-VII. Ciceronis Catonem *priuatum* suis praeleget. Explicato codice diuino, precibusque factis, Hora IX-X. facultatem exercendi stili suis dabit, et Graeca emendabit. I-II. cum partes Professoris Physices obeundae sunt, Horatii Epistolas *publice* interpretabitur. II-III. Ciceronis orationes, eadem, qua die Iouis, ratione, III-IV. Lycurgum *priuatum* perconsuebit.

B

DIE

DIE SATVRNI, VI-VIII. religione perfunctus, utrique ordini elaborationis Graecae materiam suppeditabit, et Hesiodi *Ερ'γα* tractabit. IX-X. *priuatum* Virgilii ueneres ostendet. X-XI. *priuatissime*, quam postularunt, operam nauabit. I-III. Terentium exponet *priuatissime*, suosque loquendo Latine scribendoque exercitatiores reddet.

Quibus quidem conatis ut Deus Immortalis fortunam amplissimam adiungat, religiosissime precatur.

ILLVSTRIS RVTHEN. CONRECTOR

DIE LVNAE, hora matutina *VI.* sacras inter cantilenas ac preces, christianae religionis fundamenta, praeunte *Ruckdeschelio*, ordini tertio instillabit; *VIII.* eidem ac quarto *Grammat. Lat. March.* explicabit *publice*; *VIII.* priori *Cicer.* ad diuers. epistolas *priuatum*. A meridie, *II.* easdem secundo, et *III.* suis iterum *priuatum* exponet.

DIE MARTIS, hor. *VI.* peractis sacris, *Grammat. Lat. March.* tractabit cum ordine tertio ac quarto; *VIII.* libellum, qui inscribitur: *Kurze Saetze zur Erleichterung des catechetischen Vnterrichtes*, *publice*; *VIII.* historiam atque geographiam *priuatum*. cum priore; *I.* in *Grammatica* coram utroque perget; *II.* *Corn. Nep.* cum secundae curiae ciuibus leget *publice*; et *III.* stili lat. materiam suis *priuatum* proponet.

DIE MERCVRII, hor. *VI.* *Phaedrum* *priuatum* illustrabit; *VIII.* aliam stili latini materiam cum versuum lat. argumento *publice* dabit; et *I.* *Grammat. graecae* fundamenta *priuatum* tradet.

DIE IOVIS, hor. *VII.* suorum exercitationes lat. et poëticas corriget; *VIII.* quod *Lucas* afflatu diuino graece scripsit euangelium secundae classis auditoribus *publice* dilucidabit; *VIII.* iterum emendandis stili exercitiis vacabit; *II.* et *III.* *Corn. Nep.* cum suis tractabit.

DIE VENERIS, hor. *VI.* in eodem cum iisdem legendo perget; *VIII.* quae corrigenda supersunt exercitia absoluet; *I.* *Ciceron.* ad diuersos epistolas secundi, et quoties professoris physices obeunda est prouincia etiam primi ordinis auditoribus enarrabit *publice*; *III.* ex *N. T. G. Iobannis* euangelium suis *priuatum* exponet.

DIE SATVRNI, hor. *VII.* *Gramm. graec.* *VIII.* proximi diei festi graecam euangelii pericopam explicabit; *VIII.* poësin latinam docebit; et *I.* ex *Freyeri fasc. Theogn.* sententias interpretabitur.

LEÇONS

LEÇONS QUI REGARDENT LES LANGUES, FRANÇOISE
ET ITALIENNE,

Comme le juste choix de matières, qui doivent faire l'objet des explications, en des leçons publiques et particulières, contribuent le plus, au besoin et à l'avancement des auditeurs; le Maître de ces leçons continue encore, à communiquer aux écoliers, un recueil de choses très intéressantes et capables de les mener, avec l'aide de Dieu, au but proposé. Ce recueil, étant tiré des meilleurs auteurs, et étant dirigé à un usage général; il satisfait aux différentes veues et aux differens progrès des écoliers, qui fréquentent les heures publiques. Outre ce recueil, qu'il communique par écrit; il traite dans ses heures d'avant-midi le livre intitulé, *Le déposit du monde par maximes et réflexions morales et politiques*, par MR. LE NOBLE, avec l'augmentation de ce livre, d'un certain auteur, qui l'a augmenté de plus de la moitié, de maximes très exquisés, et qui marquent les véritables avantages, que procure l'étude de la politique et de la morale. Ce Maître ayant achevé ses explications sur ce livre; il recommencera de le traiter le sémestre, qui va venir, depuis *sept heures jusqu'à huit heures* du matin. Les imitations, qu'il a dictées à la plume, sur les chapitres de ce livre, ont fourni aux écoliers des matières, dont ils ont peu faire usage, en joignant la pratique à la théorie, savoir dans la composition de lettres et de harangues. Aussi-tôt qu'il aura achevé de traiter dans ses heures d'après-midi à deux heures, le livre, intitulé, *La véritable politique des personnes de qualité*; il recommencera à traiter le livre de FÉNELON, intitulé *Démonstration de l'existence de Dieu, tirée de la connoissance de la nature*.

Pour ce qui regarde ses autres leçons, auquel nombre se trouvent ses leçons italiennes; il ne manquera pas de les traiter, avec l'aide de Dieu, de la même manière, dont il a fait mention dans plusieurs programmes.

* * *

Ludo gladiatorio saltatorioque praefectus, ratiocinator et καλλιγραφίας magister, pariter publicis partibus suis, septem cuiuslibet hebdomadis horis, funguntur.

Argu-

9x
Td
264

THOMAS REUDY
*** **
Argumenta disputationum, hoc semestri spatio, ductu nostro, priuatum, ab ordinis primi ciuibus quibusdam diligentioribus, consignatarum et habitarum.

Disputarunt quippe, 10. PLITZSCH, *Weyd.* de arithmetica et geometrica proportione, negante CPH. BENI. HEINSIO, *Neostad.*

2) de fictionibus in sermone, neg. HAGENIO; 3) de antecedente et consequente DIVINI NUMINIS voluntate, neg. BECKIO: 10. GE. GERSDORF, *Wydensf.* de virtute praedito, hac etiam in vita beato, neg. HAGENIO:

10. CHRISTOPH LORENZ, *Io. Ge. pol.* de amicitiae verae contrariis, negante HAGENIO:

CAR. FRID. BECK, *Io. Ge. pol.* 1) de eo, num ex astris futura fata canere liceat? neg. HAGENIO; 2) de certo mortuorum ad vitam reditu, neg. LAVRENTIO; 3) de eodem argumento, neg. HAGENIO:

10. GOTTLIB IVNGE, *Ger.* de cultu solis, apud gentes profanas, neg. 10. GOTTLIB. HILLNERO:

CHRIST. GOTTLIB. MARTIVS, *Wydensf.* de agriculturae dignitate, neg. PLIETZSCHIO:


10. THEOD. HAGEN, *Orlamund.* 1) de humanae voluntatis libertate, neg. 10. HEINR. BANCKWITZIO; 2) de prauitate voluntatis humanae, errantis intelligentiae fructu, neg. GERSDORFIO; 3) de praedictionibus fortuitu euenientibus, neg.

10. FR. CPH. REINHARDO; 4) de laudabili simplicitate, neg. HEINSIO; 5) de instinctu alios imitandi nobis innato, neg. LAVRENTIO:


CAR. TOB. HERTEL, *Ienenfis.* cur antiqui prudentiae praecepta variis plerumque fabulis inuoluerint? neg. HAGENIO:

10. FRID. CPH. REINHARD, *Braunsdorf.* de lacerna veterum Romanorum, neg. PLIETZSCHIO.

*** **
DEVS autem, summus eruditionis Christianae stator, singulos docentium ac discipulorum conatus, societ amice, potenter euehat, et ad sui nominis gloriam, rei publicae commoda, veram cuiuslibet salutem, conuertat.



me



Farbkarte #13

B.I.G.

OK. 433, 16

B. wa. II

II d.
264

X 225.6408

DE
ΠΑΡΕΝΘΥΡΣΩ
ORATORIO
COMMENTATVS
ILLVSTRIS RVTHENEI NOMINE
PRIOREM STUDIOSAE IYVENTVTIS
A. C. D. CIO IDCC LVI
LVSTRATIONEM

SECVLO COMMENDAT

IO. GOTTFR. HAVPTMANN.

CIC. ORR. XXVIII, 25, 64:

Infractus furor tuus inanes faciebat impetus.

GERAE

EX CHALCOGRAPHIA VIDVAE SCHRADERIAE.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)